

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

### Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

**Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda**

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

### SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.


*Gratuito sumptuum aestimatio fiet.*

*Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:*

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.



DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.


28, Orchard Street.

Varsaviae Polonorum

Rakowskie Przedmiescie, 15.


Montreal

1690, Rue Notre-Dame.



T. et G. Fratrum Parisi

ROMAE in ITALIA  
in foro Campi Martii, 6



Vincentius Rigacci  
officinae conditor  
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA  
CANDELARUM AD SACRA

cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X  
honores addidere

Candela ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, laponios  
atque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-  
delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,  
et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae  
in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candalarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-  
tenis Kgr. — Merx nullo iubentis impedio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-  
centis saltem cerae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum  
dorso (viginti dierum iter) facillime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglicana, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Septembribus M DCCCCIX.

Num. IX.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Antiquorum sententia de summo bono.  
Commentationes philologicae. — De Platone:  
De poësi Macaronica Nicolai Capassi.  
Horae subsecivae: Acerba erroris cognitio.  
Ad Romam - Horarum Indicis vox.  
Ravenna urbs et christiana artis monumenta.  
Colloquia latina. — Discessus.  
Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia  
Papae X litterae encycliae octavo exeunte saeculo ab obitu S. An-  
selmi doctoris.

- Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-  
lectae.  
Diarium Vaticanicum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electio-  
nes. - Vita functi viri clariores. - Varia.  
Annales. — Mauritana res et Hispanorum seditiones. - Cretensis qua-  
stio. - In Perside.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis.  
Per orbem.  
Ioci.  
Libri recens dono accepti.  
Aenigmata.  
Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit I. F.).

## Antiquorum sententia de summo bono

Quanta diligentia hominis finem, h. e. summum bonum, perserutati sint antiqui philosophi, facile in-  
telligit qui S. Augustinum in libro *De civitate Dei* (XIX, 1) audiat dicentem: « M. Varro in libro *De  
Philosophia* tam multam dogmatum varietatem, di-  
ligenter et subtiliter scrutatus, advertit, ut ad du-  
centas octoginta octo sectas, non quae iam essent,  
sed quae esse possent, adhibens quasdam differen-  
tias, facillime perveniret ».

Non vacat sententias istas conquerire et expli-  
care. Sufficit librum Ciceronis *De Finibus* cum atten-  
tione legere, ut cuiilibet manifestum sit, fuisse in ani-  
mis antiquorum stimulum quedam qui illos ad eam  
veritatem investigandam impelleret, ex qua una me-  
rito censebant totam suam felicitatem dimanare posse.

Et merito quidem: nam quum multa saepe et  
constanter et fortiter gerere debeamus, saepe autem  
talia tempora contingent, ut quid sit nobis eligen-  
dum dubitemus; certe sapientis hominis prudentisque  
est uniuscuiusque rei momenta ad calculos vocare,  
ne, eorum ignoratione, ad finem, quem non opta-  
verat, rapiatur, et dicere cogatur « non putaram ».

Quod si quis falsum sibi finem praestituerit, pu-  
tamusne posse eum, qui eo quidquid fecerit referat,  
magna pro patria, pro societate patrare? Laudabun-  
tur illa quidem a nonnullis; at quantum ab hominis  
dignitate aberrant! Quo altiorem sibi quisque finem  
proposuerit, quo maximis ingenii dignorem, eo pree-  
stantiora semper et altiora persequetur.

Solent sculptores quum primum arti sue operam  
impertint, excellentes imagines sibi proponere, qui-

bus suas studeant conformare: et quo maiores in sua  
quisque arte progressus facit, eo illustrius sibi exem-  
plar ad intuendum imitandumque procurat. Quum  
autem fastigium artis superarunt, non aliud iam in-  
tuentur exemplar, nisi ideam illam pulchritudinis,  
quaes sola veros artifices ad res magnas inflamat, ad  
quam opera artemque omnem student accommodare.

Referant ergo sua omnia nullius pretii homines  
ad licentiam et voluptatem. Ille solus in arte vitae  
bene peritus dicendus est, qui oculos habet intentos  
in finem illum supremum, qui nunquam fallere, nun-  
quam deficere, nunquam nos ad vilioraducere potest.

Est, est profecto divina flamma, quae nos in mi-  
serimae vitae cursu ad maiora quaedam excitet, quae  
nos a voluptatibus abducat; dolores, pericula, alio-  
rum causa adeunda nobis persuadeat. In iis quanta  
eos pace uti videmus, quibus vera de ultimo fine  
sententia haeret in animo!

Quapropter maxime admirari soleo eorum caeci-  
tatem, qui negent quidquam operae et laboris in eo  
esse ponendum, quod omnes sapientes, qui ubique  
terrarum fuerint, non christiani solum, sed ethnici  
etiam, uno ore, una voce consentiant esse summo-  
pere expetendum, et, ut Tullianis verbis utar, ita  
praestans ac necessarium, ut nihil sit in vita tanto  
opere quaerendum, quam quum omnia in philoso-  
phia, tum quid sit finis, quid extremum, quid ulti-  
mum, quo sint omnia bene vivendi, recteque faciendi  
consilia referenda (1).

Tale fuit apud anticos studium finis detegendi,  
tantaque eius aestimatio et opinio. At quam longe

(1) *De Finibus*, lib. I, cap. 4.

a veritate aberrarunt, qui eam, solo rationis lumine confisi, sine revelationis auxilio, rimari voluerunt! Quantas iterum gratias Deo referamus oportet, qui rem tam necessariam, quam pueri etiam cognoscere debeant, et certo cognoscere, et tam difficilem, quam homines sapientissimi invenire non potuerint, nobis planam et facilem reddiderit!

Neque de illo fine agam, qui vires naturae superat, quem nobis Deus, praeter id omne quod natura exigit, sola sua liberali bonitate proposuit. Finis ille, quem solum natura postulare poterat, latuit etiam clarissimos viros.

Ac primum quidem omnium eorum sententias praeteribo, Cyrenaicorum, Aristippi, Epicuri; qui totam hominum beatitudinem in eo ponebant, ut corporis voluptatibus frueretur. Hieronymi etiam, cui erat summum bonum corporis doloribus carere. Quae omnia tam absurdia sunt, tantisque homines erroribus et criminibus obiciunt, ut dicat ipse Tullius, non a philosopho, sed a censore esse opprimenda (1).

Maiorem fortasse veritatis speciem prae se ferunt Erilli Carneadisque sententiae, quorum prior in scientia, alter in assequitione cunctorum, quae corporis animive naturam complent, summum bonum esse voluerunt. At miserum profecto reddunt maximum mortalium numerum, immo, mortales omnes, auctore Tullio, quum eum assignent finem bonorum, quem nemo unquam in sua potestate habebit.

Restant eorum disciplinae, qui summum bonum virtutem esse censuerunt. In quibus magna iterum varietas: dum enim alii ad virtutem alia bona accedere affirmant, ut Callipho, qui adiunxit voluptatem; Diodorus, qui apposuit vacuitatem doloris; Peripateticus, qui adiungunt omnia prima naturae; Zeno cum suis discipulis ceteras res omnes, praeter virtutem, non modo summum bonum efficere, sed vel bonas nominandas esse negat. Tametsi concedit eas res aliquid in se continere cur eligendae sint.

Quod quum Aristo et Pyrrho magis ad vivum resecare vellent, istam etiam rebus dignitatem auferentes, alter honestatem penitus sustulit, alter in crassum incidit scepticismum.

Duae igitur sunt disciplinae, quae videntur vel maxime ad veritatem accessisse: Peripateticorum, scilicet, et Stoicorum. Hi enim omnes finem nobis assignare nitebantur virtutem, qui esset in nostra potestate positus. Et Stoici quidem ita, ut assarent nihil ad beatitudinem hominis virtute ornati accedere posse, nihil ex ea posse divelli, etiamsi adesent vel impenderent acerbissimi dolores. Peripateticus, etsi assequitione aliorum bonorum beatitudinem compleri putabant, at non eam deficere censebant, sed tantum minui, deficientibus ceteris bonis praeter virtutem.

(1) *De Finibus*, lib. II, cap. 10.



Sed quid ista omnia prosunt, aut quod solarium in malis afferunt, si hominem fingunt prorsus a Deo exclusum? Iubent nos in cruciatibus beatos esse. At quo iure? qua spe proposita? Quod dolor malum non sit? Satis luculenter ostendit Tullius Catoni in quarto *De Finibus* dialogo quam ista incongruenter ab Stoicis dicantur, qui primam legem posuerint secundum naturam vivere.

Si homo sibi soli natus est, si nihil ex tot laboribus et aerumnis sperat nisi, specie virtutis obtenta, sibi ipsi placere, heu, quam vana, quam incostans eius erit beatitudo!

Equidem non ignoro quam parum hi philosophi a vera sententia distent. Illud dico, quo excellentius eorum fuit philosophorum ingenium, et quo magis ad veritatem accessisse videntur, eo etiam maiorem id in nobis excitare miserationem, quum eos intelligamus, divino veritatis lumine privatos, eo pervenire non potuisse, quo tanta nos facilitate pervenimus. Quod quidem vel maxime appareat in Tullio. Qui, etsi, ut bonus academicus, quod verum assequi posse se neget, de omnibus dubitandi facultatem sibi retinet, tamen ad Peripateticos proxime videtur accedere. Usurpat ille quidem gravissimis in rebus Stoicorum doctrinam, quod videre licet in libris *De Officiis*, in *Tusculanis Disputationibus*, *Paradoxis* et saepe alias.


Quemadmodum autem ipse eorum sit sententiam sequuntas, ex ipso audiemus, in lib. I, *De Officiis*, cap. 2: « Sequemur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbitur hauriemus ».

Quam praeclaram ex his disciplinis opinionem virtutis deprompsit! Et primum quidem, saepissime tantam esse virtutis dignitatem dicit, ut non dubium sit quin sola virtus cetera omnia, quae bona habeantur, obscuret atque obruat. Sed haec Tullianis verbis placabit audire: sic in lib. V *De Finibus* contra Stoicos agens, qui prima naturae non audenter appellare bona: « Audebo igitur cetera, quae secundum naturam sunt, bona appellare, nec fraudare suo vetere nomine, potius quam aliquod novum exquirere; virtutis autem amplitudinem, quasi in altera librae lance ponere: terram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet ». Cui sententiae valde consentanea est illa, quam per elegantissimam metaphoram declaravit in cap. 30 eiusdem lib. V: « Omnia ista, quae ille videlicet bona appellat, necesse est obscurari nec apparere, et in virtutis tamquam in solis radios incurrire »: paulumque ante pulcherrimus ille locus: « Illa... quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita, ut sine illis possit beata vita existere; ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones ».

nes bonorum, ut quemadmodum stellae in radiis solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem».

Quod si haec, quae de virtutis dignitate a Cicero dicuntur, eius opinionem de virtute declarare videntur, non minus eam aperiunt haec per pauca de ipsis vi, quae collegimus, exempla.

Quum dixisset in cap. 24, lib. V, sapientes homines recte facta sequi duce natura, non perfectos autem, et tamen ingenii excellentibus praeditos, excitari saepe gloria, quae habeat speciem honestatis et similitudinem, ait, tantam eius vim esse, ut si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam penitus imperfecti homines viderent, maximo gaudio completerentur, praesertim quum tanto opere eius adumbrata opinione laetarentur. Quin immo, eam esse vim excellentiamque virtutum, « ut earum qui compotes sint, magno animo erectoque viventes, semper sint beati: quod omnes motus fortunae mutationesque rerum et temporum leves et imbecillos fore intelligent, si in virtutis certamen venerint ». Praeclera sententia quae virtutes in fortunam dicat dominari! Quam bene cum illis quae ab ipso Cicerone in his libris probantur cohaerent: « sapientem, etiam in Phalerico tauro versetur, aut in cruce agatur, beatum futurum quod ea mala, virtutis magnitudine obruantur! ».



Haec quidem erant de virtutis dignitate ac vi generatim dicenda; multas poteram praeterea persequi laudes, quibus virtutes singulas Tullius amplificat. Sed satis est, ut intelligamus alte illum de virtute iudicasse, quod contra Epicurum Romae agere est ausus. Quum enim id temporis in ore omnium fere ceterorum hominum esset Epicuri doctrina; nunquam Tullius, virtute defendenda, improborum criminibus, multorumque reprobationibus se obiecisset, nisi gloriam eius, qui virtutem coleret, maiorem aestimasset quam quae perditorum hominum iniuriis bafactari posset.

Sed haec sunt forte Ciceroni cum aliis communia: illud maxime nos ad misericordiam movet in eius scriptis, quod videtur aliquando in eo esse, ut veram sententiam dispiciat, quae una potest hominibus saluti esse, nec tamen assequitur unquam ut e miseria illis tenebris emergat, quibus eo tempore mundus fere totus iacebat involutus. In omnibus quinque libris de finibus, vix semel aut iterum idolorum nomina commemoravit, ut facile appareat quam alienum eorum cultum a vera ratione censeret. Nec ignorare videtur aliam esse maiorem altioreisque causam, cuius vis omnia quae in mundo fiant, quaeque videantur, regat ac moderetur: nec tamen hanc ipsam causam supre-

mam et perfectissimam, sine dubitatione complectitur, nec omnes conclusiones haurit, quae in hac gravissima veritate insunt. Inde fit ut non intelligat non posse nos esse beatos nisi Dei gloriam omni studio perseguamur, proindeque ut a vero fine bonorum et malorum penitus aberret.

Quae quum ita sint, quum tam multi philosophi, iidemque doctissimi, verum finem bonorum assignare nesciverint, satis patet maximas nos D. N. Iesu Christo grates habere debere, qui nobis tam facilem veri finis cognitionem reddiderit, ut iam a pueritia, quum prium rationis lumen in nobis illucescit, supremum illud bonum perspiciamus, cuius causa creati natique sumus, et ita perspiciamus, ut nulla in animis nostris de illa re dubitatio inhaereat, quam sapientissimi antiquitatis philosophi, lumina ethnicorum, ne videre quidem potuerunt, quodque totius vitae nostrae cursus stella est, et quasi dux, quem sequi debemus.

HENRICUS MAINER S. I.

## COMMENTATIONES PHILOLOGICAE

### DE PLATONE.

II.

Transeamus nunc ad alium locum, qui desumptus est ex libris de republica. In quo opere cum alia mirabilia sunt, tum nihil magis a ratione abhorret quam mulierum liberorumque, quam ille in civitatem suam inducere voluit, communitas. Id commentum, quod tantum non insaniam sapit et quod, si reapse effectum haberet, hominum societatem ad bestiarum condicionem deprimeret, quomodo in mente tanti philosophi nasci potuerit, tam difficile intellectu est, ut, nisi quis id scriptum et argumentis munitum videret, vix a se impetraret, ut crederet. Sed piget de re ab hominis natura alienissima plura disserere, praesertim quum Aristoteles in « Politia » totam hanc rationem sat multis firmisque argumentis refutaverit.

Minus offendor, immo approbo quodammodo alium « Reipublicae » locum, eum, quo poetae exceptis eis, qui hymnos in deorum honorem aut laudes heroum virorumque bene meritorum conscripsissent, e civitate exsulare iubentur. Quamquam scio multos ex hoc ipso loco vel propterea offensionem cepisse, quod Plato, qui ipse ad poetica natus factusque videatur, tam humiliter contemptimque de arte poetarum sensisset. Sed qui reputaverit poetas, imprimis epicos, Graecis deos effinxisse eosque moribus vitiisque humanis induisse atque inde animos vulgi superstitione et stupore replevisse, is non mirabitur Platonem, qui aequae ac Socrates magis rectas opi-

niones de diis in mentibus popularium suorum informare vellet, spectra illa omni veritate carentia eorumque auctores ex civitate exterminandos censuisse.

Hic subicimus locum, qui etsi non ex libris de republica sumptus est, tamen cum ea materia arte cohaeret. In «Gorgia» enim Plato acerbissime vexat Miltiadem, Themistoclem, Cimonem, Periclem, quod de republica male merentes populum non meliorem reddidissent, sed morum corruptelae et animi dissoluti ingratique populo auctores exstitissent. Quae quum legimus, vix nobis ab indignatione temperamus, reicientes pravum, ne dicam, nefarium philosophi iudicium; quo is illorum virorum merita nunquam satis laudanda non modo oblitterare, sed in contrarium vertere non est veritus. Quis enim plus quam illi ad salutem Graeciae a barbarorum impetu defendendam contulit, aut quid futurum fuit de Graecia, nisi illi, imprimis Miltiades et Themistocles, in summo rerum discriminé egregiam operam et paene plus quam humanam praestitissent? Abhorret animus a cogitatione, qualis totius posterioris aevi forma et facies futura fuerit, si barbari Graeciam suis gregibus oppletam in servitatem redigissent. Quocirca non opus fuit, ut Aristides, sophista et rhetor alterius p. Christ. n. saeculi, grandis voluminis oratione, quae «De quatuorviris» inscribitur, istud iniquissimum Platonis de Graeciae servatoribus iudicium insigni argumentorum multitudine profigaret. Ipsa res clara voce loquitur, quanta illis heroibus a posterioritate gratia debeatur, et Plato ipse, nisi nimio sua doctrinae studio occaecatus fuisset, intelligere debuit, si Graecia Persis succubuisse, se ne locum quidem habiturum fuisse, ubi libros suos componeret.



Iam pergamus ad alium Platonis dialogum, «Menonem». Ibi puer producitur, qui, quum geometricae doctrinae ignarus sit, tamen interroganti de dimensione quadrati ita respondet, ut si geometrica didicisset. Ex quo Plato deducere vult discere nihil aliud esse nisi reminisci, quam eadem rem etiam in «Phaedone» tetigit. At quis non videt istam demonstrationem ridiculam esse, si quidem interrogations tales sunt, ut puero, quid respondere debeat, quasi in ipsis ingeratur nec aliorum possit deflectere responsio? Verum non est quod istas ineptias miremur, quoniam Plato hac ratione pro arguento uti voluit, quo scilicet demonstraret animum, iam antequam in corpus humanum defluxisset, viguisse.



Unus relinquunt locus, cuius mentionem facere libet. Est is in dialogo, qui «Phaedrus» inscribitur.

Ibi Socrates h. e. Plato non solum vivae voci, id quod inter omnes convenit, multo plus tribuit quam scriptioni, sed omnem scribendi rationem tamquam noxiā et tarditatis inertiaeque ministram ultra modum abicit et damnat. Quod philosophi decretum argumentis confutare nihil opus est, quoniam nemo sana mente homo non videt sine scripturae inventione nullum in cultu humano progressum fieri potuisse omnesque omni aevo hominum rationes et negotia cum scripturae usu ita implicata et connexa esse, ut ab eo divulsa ne cogitari quidem queant. Quid adeo, ut hoc utar, nos de Platone ipso eiusque placitis cognitum haberemus, nisi ipse suae sententiae repugnans nobis tot tantaque scripta reliquisset?

Et haec quidem hactenus. Proxima commentatione nonnihil de Tacito disputabimus.

Goritiae.

A. B.

#### DE POESI MACARONICA NICOLAI CAPASSI

In Neapolitana Academia primarii legum professoris

Omni aetate, posteaquam patavinus ille Odasius *Macaronea*, cui ultima quidem manus non accessit, primum scripturae exemplum prodidit, in qua latinus sermo deformaretur, italicae linguae differentiis undique accitis, ac latine desinentibus, non defuerunt apud nos qui, eius vestigia persecuti, hoc novo et fere absurdō scribendi genere exercerentur. Itaque traditum est opus, incerto auctore vulgatum, cui titulus *Nobile Vigonze*; Matthaeum Fossa cremonensem scimus *Virgiliana* sua his numeris mixtis composuisse, temporis terendi causa, dum olim Bassani assidui imbris effunderentur; Bassanum mantuanum legimus et Io. Georgium Allionem astensem iisdem usos esse ut vehementer rempublicam increpant.

Qui vero princeps poesis macaronicae exstitit, is fuit Theophilus Folengo, magni nominis homo: notum est enim, ne dicam alia, poema illud *Baldus*, de quo, vixdum edito, propter inventionis felicitatem et calamitatem diligentem usum, quam multi sermones habiti sunt. Nam, quum Allionis et fere aliorum, qui per illud tempus barbare concinuerunt, sermo sit omnino dissimilis et incompositus (quippe qui nulli regulae subiectus, versuum lege modificationeque carens), Folengo, sive Cocai Merlinus — quo sub falso nomine sua scripta in lucem evulgavit — praeterquam quod materiam extulit et novis viribus auctam dociliorem reddidit, egregio sane consilio latinorum verborum mensuram servavit, latina compositione usus est, quin immo, quam extra iocum agit, latinum illum sermonem, quem prae aliis callet, omnibus numeris un-

dique expletum et nulla mixtura vulgari infectum, saepe adhibere delectatur.

Quo ex tempore, mantuanae musae festivitas et facetiae, lerido comptoque stilo expressae — ecquis non meminerit *Normulae macaronicae de syllabis?* — ingenia passim allexerunt sollicitaruntque ut in eo exemplo periclitantia ex animo curas eicerent et macaronicis versibus cogitationes, sensus, voluntates quoque suas committerent. Sequitur ut, hoc in periculo, quidquid varia genera italicae linguae praecipuum et peculiare habuerint, haustum sit ac ridendi studio otique causa assumptum, latina veste indutum, in omnibus Italiae urbibus, pro condicione rationeque temporum, effluerit.

Neapolis autem, ubi semper latina poesis, mirabilis amore exulta, etiam sub duro potentissimorum principum imperio, viguit et prospere crevit in dies, huiusmodi conatu nulli fuit secunda; nam poësis, incunda carmina condentibus virgiliano prope stilo exarata, vacavit aliquantulum musarum hilaritati indulgere, et patrii sermonis suaviores venustates ac lepores elegantibus, inque unum conglobantibus, macaronicum genus perfractare. Huc accedit ut nullus sermo tot verborum iocis abundet, tanta elocationis suavitate distinguatur, tot nitidis dicendi ornamenti efflorescat quot neapolitanus, qui et blande mulcet aures et penitus ad animos descendit. Nescio quid enim inest in vocibus neapolitanis, quod prae aliis dialectis maxime eluet, numerorum scilicet elegantia; quapropter, si latine verba terminaveris, non suum nitorem et sonitum amittent, immo vero auctum et longe lateque diffusum retinebunt. Quem ad finem oportet ut qui in hoc genere exerceatur, latinam linguam, eamque optimam, calleat, leges metricas haud ignoret, totusque in id animum intendat ut illa vocabula seligat quae aptiora, si ita dici potest, ad vestem mutandam videantur. Quod omnes mirum in modum assecuti sunt qui Neapol., iam senescente saeculo XVII et primo insequentis diluculo, magnam sibi gloriam litteris pepererunt.



At tempus est propius ad iocos vel ad otia musarum Capassi accedere qui, natus Grumi prope Atellam in Campania, a. MDLXXI, omnia a natura sortitus quae hominem ad exactam sapientiam fingant atque ad amplissimos honores producant, invensis admodum, Neapolim advectus, ea praestantia ingenii effusis, ut brevi penitiorum litterarum ardua facile superaverit et cultiorum disciplinarum abdita, ad iuris studium se conferendo, omni cum diligentia perserutatus sit. Ingenii festivitate qua erat, et merito publico praeconio Ηεντοδαχή; praedicatus, quippe qui optimos Graecitatis ac Latinitatis auctores saepe pervolutans, in utraque lingua elegantissime scripsi-

rit et patrias musas pari amore coluerit, neapolitanum sermonem, cuius venustates nativas magnopere dilexit, quemque ad primos septem Iliadis libros interpretandos audacter adhibuit, ea felicitate in modum latinum formavit latinisque litteris constrinxit et clausit, ut specimen, valde laudabile, poesis macaronicae nobis praebuerit.

In exemplaribus eius *variorum carminum*, typis Simonianis Neapoli exscriptis, a. MDCC LXI, ubi vero plura desiderantur et his verbis praefatio terminatur: «plura denique studiorum suorum monumenta facile persequeremur, si quaedam ab amicis suis olim servata colligere et pancies, quae ad manus sunt, nobis adicere licuisset», duo tantum extant specimina Cassassi lepidissimae facultatis poeticae, sed quae nobis magno in honore per se ipsa habenda sint: *De curiositatibus Romae*, et *De disgratis Zimaei*. Altera vero editione, paulo recentiore, qua uti potui, tertium mandatur: *Ad Abbatem Andream Belvederium galanthominem et amicum cordiale* — *De vera Pedanteria*. Quid hoc et quorsus spectat? Ad hoc scilicet, quod iam alii senserunt quodque hic conqueri non desinimus, ut multa adhuc ingenii neapolitani poëtae splendida monumenta luce careant, quae vehementer optandum est ut sparsa in unum colligantur et, aptis notis instructa, studiosorum hominum in usum vultentur.

Videamus nunc, strictim ac veluti per transenam, quid unumquodque macaronicum specimen continet.



Omnium pulcherrimum, quippe quo nihil gratius aut festivius unquam fuerit exceptum, est iocosum illud carmen *De curiositatibus Romae*, ad *Sardonium Chiricagliam*, amicum incorporeum, quod auctor, Romae concinnatum ut animalium lithias molestia quodammodo levaret, sub falso nomine Striverii Cardazzli in lucem protulit.

Invocatis Macaridibus Nymphis, iis videlicet musis, quae macaronicae poësi praesunt, ut sibi favent scribentique adsistant, quum de Urbe capite (*cavezza*) tractandum sit deque illis quae in ea continentur mala, quod quidem magnum est et fere supra vires propositum; deinde huius consilii excusatione allata, quum fas semper honesto — *De quando in quando fuit indulgere capriccio* — Capassus iocose argumentum aggreditur. Caelum romanum intollerandum praedicat — *insopportabilis aēr* — *Est gelidus, calidus, siccusque atque humidus idem*; Tiberim caenosum dicit, tamquam si in eo laventur coria et exta; aquas salientes exhilarare tantum oculos, quippe quae nitido marmore instructae sint, sed palato officere; vinum carius esse, modulus exiguis, multa praeclera adstare, sed vitae commoda negligi — *Semel hoc pro semper habeo* — *Plurima magnifica hic vi-*

*deas sed commoda pauca — ; vias latae sed fimi faenique plenas, in quibus aestivo ardore ob pulverem tussire, hieme, per imbre, caeno oblivi cogaris.... Argutum autem ac lepidum quod de sole affirmatur; bene dormias, nisi culices et cicadas continuo fastidio sint. Hic vero brevis digressio est, de vita aulica deque plurimis difficultatibus quae eam comitantur; at subito poeta ad argumentum reddit. Panis bonus, sed nullius saporis, non ut neapolitanus; item ols.... poma improba et rara, adeo ut prope oras Tiberis avide gentes exspectent cursoriarum navium ab Neapoli adventum, omne bonum quidquid afferentum, velut qui, iam vita functi, prope Averni litora exspectant dum a sene moroso transvehantur:*

*Utque Trapassati per Averni littora longe  
Vecchiazum pregant..... ut linte rehantur  
Diabolique casam strillis et planctibus implent  
Purgantes animas, sic foedi in margine Tibris  
Ire, venire vides, queis zizzinella refrescat  
Varcatis omni pietosa Neapolis anno.  
Certalimque ruunt, quum accostavere filuchae,  
Et faciunt pugnis, quis scegliere debeat ante.*

In fine carminis autem, poeta persuadet Scardonio sive Nicolao Cyrillo — primario medicinae professori — ut Deo quamplurimas agat gratias, quod Neapolim patriam sortitus fuerit, a qua nunquam abesse licet:

*Haec autem scripsi, ut quae sit tua Patria noscas,  
Atque Deo reddas, quas debes reddere, grates,  
Neu credas alibi melius trovere ricettum,  
Neve diu patiaris ab illa vivere longe.  
Non etiam si mille velint dare mense pataccas (1),  
Nec, nisi per forzam, Elysio cagnaveris (2) ipsos.*

Alterum carmen — *De disgratiis Zimaei* « ad quosdam Particulares » missum, Bartholomaeum quemdam argute ludificat qui, quum aedes emptas nulli locandas dedisset, multa passus, iraque inflammatus, per Deos iuraverat nullam sibi unquam rem cum caementariis et fabris futuram esse. Quid amico contigerit, Capassus astricto enarrat, magnas impensas, labores, in fabricam sollicitudines, casum miserandum, ob quem non procul afuit quin possessor infelix, undique petitus, vitam amitteret; ac demum his versibus concludit:

*Nunc quid dicetis, num disdittatior (3) exstat  
Qui tam cancareis (4) fabricet auspiciis?*

Tertium vero carmen, « Abbati Andreae Belvederio » dicatum, praecipuae artis pictori — quod *De cera Pedanteria* inscribitur, Alexandrum Riccardum lacescit qui, Dantis scriptorumque saeculi XIV perstudiosus, molestissimae diligentiae perversitatis Carolum illum Maiellum accusavit. Capassus, ut sibi par erat, adversarii sententiam diluit ac refellit, de-

(1) Seil.: nummos.  
(2) Seil.: mataveris.  
(3) Seil.: infelior.  
(4) Seil.: funestis.

monstratque eum putidius scribere; deinde de se loquitur, de suis moribus, deque linguae italicae studio. Laudes autem Maielli dicit quod omnibus doctrina praestiterit et facile adversarios refutaverit; ac postremo quod proprium est fastidiosi hominis, describit. Qua re penitus explorata, Riccardum epithetis moracibus, in quibus haud raro neapolitana vox diffiles habet explicatus, adoritur:

*Restati indietrum: Riccardus Saxones, Anglos  
Aginaque Arctoo avanzat damnata sub axe.  
Scommunicate, procax, temulente, catharme popelli,  
Laicorum sozzura, lutum, clericu rifiutum,  
Carcinoma meae Sirenis et horrida pestis.....*

Hucusque de trium macaronicorum speciminum argumentis.

*(Ad proximum numerum).*

MARCUS GALDI.

## HORAE SUBSECIVAE

### Acerba erroris cognitio

Post inventum a Christophoro Columbo novum orbem, reversi in Europam qui socios adiunxerant sese Liguri illi audentissimo, haud morati sunt loqui mirabiliter cum obviis passim ac praedicare de opibus ante ignoratis, quibus remotae Americae plagae affluenter. Quo factum est, ut cuiusvis generis homines, et ii frequentes, eodem, ipsas opes quae situm, contendunt, alias alia cum a natura tum ab arte profecta secum portantes, quae commutari magno cum foenore proclive erat apud incolas, qui ad humaniorem vitae cultum barbaros mores erudire nondum exorsi eaque de causa rudes ad res aestimandas, vel monilia vitrea, item ut pueri solent, plurimi penderent. Quod quidem experti narrare potuerunt non pauci, et in primis quidam natione Normannus.

Hic, ut scriptum legimus, quum emigrasset in Caraibas insulas (Antillas iam inde ab Europeorum adventu nominant), attulit secum felem, cuius conspicus stupore vix pavore experie insulanos affecit, nam tigrem eorum in mentem revocabat. Postea vero quam felem viderunt sinere se ab hero permulci, hunc ea facili uti, a pavore demum recreati sunt, quin etiam maximum illius vindicandi sibi studium aperire cooperant. Normannus vaferrimus, propterea quod omnia iam animo prospexerat, primum palam negavit, verba quidem dando, felem unquam ab se iri dimissum, idem deinde gestibus magis quam verbis hoc ab illis intelligi voluit, se concessurum esse modo magno coemissa pretio. Hinc exorta inter homines id ingenii munera contentio, ut pro sua quisque facultate aurum, argentum, gemmas aliaque afferent, nec, dum sibi felem pararet, quidquam pensi haberet. Propositum nihil secius tenuit. Normannus, usque eo nimurum, quoad subiit animum illud verissime

dictum, amittere omnia, qui nimia petat; quare totum negotium eorum arbitrio permisit. Complexus postremo est felem suam collectisque largitionibus, quas Caraiborum omnium locupletissimus effuderat, bestialam illi dedit in manus et discessit, domum repetiturus, contentus tantis opibus vili adeo merce comparatis.

Reducis hominis, quo diximus modo, ditati fama celeriter divulgata, alteri praesertim Normanno cupiditatem iniecit eiusdem aleae adeundae. Qua porro impulsus vela et ipse fecit in Caraibas insulas, non fele, sed equo venustissimo comite sibi itineris adscito.

Ubi ad litus appulit et e navi in terram eduxit equum, primo statim eius adspectu commoti vehe- menter Caraibi, abrepti sunt aesta quum quadrupe- dem heri nutu succussantem, in cursum incitatissi- um emitti agique in gyrum spectarunt. Tunc Eu- ropeus certis quibusdam indicis significavit iis, qui aderant, cupere se regi equum obsequii sui ergo do- nare, sic existimans id si fecisset, magno sibi praemio futurum. Nec vana in speciem persuasione ductum esse diceres. Rex enim gratissimum se prodidit et advocatos, qui sibi a consiliis essent, sententiam rogavit quemadmodum remunerari posset Norman- num. Sed quid agerent? Quae prima illis in locis ducerentur, non satis esse pretiosa, nil ad donum ab rege nuper exceptum. Etsi Normannus rege et au- licis mussitantibus lingua galibica, quae dicebatur, nihil prorsus intelligebat, ei tamen in opinionem ve- nerat fore, ut quo diutius disceptassent, eo veri- similius esset se consecuturum ampliore mercedem. Talia dum mente volvit, repente Caccius, perinde quasi a superis afflatus, quiddam fieri iubet, quod secundissima approbatione accipitur in concilio. Continuo evolavit inde unus de Caraibis, qui haud ita multo post redit gestans accurate, ut pretiosissima quaeque postulant, corbulam festucis stirpis versicoloribus probe contextam, quam tradidit Normanno, quum interim orator coetus, voce ac gestu una compotis nitebatur, ut is perciperet, regem huiusmodi dono ipsi de se bene merenti vicem rependere.

Non gravi pondere erat corbulam, verum rem magni pretii intus esse ex eo coniici licuit, quod, quum a Caraibo dimitteretur in manus Normanni, stetit rex oculis in eam peramanter defixis.

Omnes moras impotenter ferebat Normannus, avebat quippe seorsim a turba latenter proferre the- saurum prolatunque per otium inspicere. Dimisso tandem coetu, trepidantibus praecomotione digitis aggreditur exsolvendos funiculos, quibus vincita erat corbulam; idque sensim, ne forte quid labefaciat, per- ragens, liberat eam operculo. Sed... o amarum erroris cognitionem! In molli fragrantis foeni stratu recubabat feles, eadem a priore Normanno illuc de- ducta, qua ante cognitum equum nulla creatarum rerum pulchrior visa Caraibis fuerat.

Treiae.

TITUS CURZIUS.

### Ad Romam<sup>(1)</sup>

*De te, Roma, hominum cordibus insitum  
Rerum perpetuo mnemosynon manet,  
Mulcent quae penitus, cordaque recreant  
Tecum lapsaque tempora.*

*Proh mirum! Arma tibi haud occiduum decus  
Antiquis dederunt temporibus, tuis  
Optarunt populi legibus obsequi  
Ipsorum excidii metu.*

*Sed primis subito cladibus imperi  
Vis exorta fuit consilii nova  
Quae sacrum imperium pectore devotens  
Cuncta in litora protulit:*

*Caelum et terra tuis luminibus favent  
Colles perpetuo quae decorant tuos  
Qui pulcra specie pae urbibus Italis  
Nostris luminibus micant.*

*Fatum mente reputans Italicum tibi  
Quod dat cura quidem provida Numinis  
Optatum aspicio tempus, et hostibus  
Ingens excidium immens.*

*Vos huc o strenui, ducite nunc pedes  
Moerens ad Thiberim Roma ubi procubat,  
Ut reddit patriae vos strenuos Amor  
Iunctos foedere liberos.*

### Horarum Indicis Vox (Versio)

*Tempus abit praeceps, quadrupes ceu liber habenis,  
Convolveus teneros vitae florentis Amores:  
Aufugient cuncta et sese caligine caeca  
Obducunt: fugiens tempus non vertitur unquam.  
Omnia diffugunt, nobis dolor instat et urget  
Qui dolor expletur nunquam mansurus in aevum,  
Nam dolor est hominum lex inviolabilis, aqua  
Quandoquidem cunctis est insuperabile fatum.*

*Tempus abit fugiens: secum convolvit Amorem,  
Convolut secum commoti gaudia cordis,  
Clarorum perdit nomen famamque virorum  
Exedit et lauri ramos sudore madentis.  
Tempus abit fugiens, rerum famamque relinquit  
Quae sensim ut fumus tenues vanescit in auras  
Tempus gestorum momenta obsignat eundo  
Quod parcum est spernendum aeterno in tempore punctum.*

JOSEPHUS DE GENNARO.

(1) EX JOSEPHI DE GENNARO scriptis variis Graece et Latine, quae novissime prodierunt Romae ex off. libraria A. Manutio.

RAVENNA URBS  
ET CHRISTIANAE ARTIS MONUMENTA

Inter omnes constat qui christianae artis historiam persequuntur, primis Ecclesiae saeculis, dum orbis humanitas vertitur, quasi naturali vi effectum esse, ut potius quam semitica ratio invehheretur, romana contra novae religioni aptaretur, atque inde ethnicorum stilos tam parum fuerit mutatus, ut ipsae




Sancti Vitalis, Ravennatis templi, prospectus interior.

catacumbarum picturae Pompeianum, qui dicitur, stylum, quamquam christianorum mysteriis inservientem, late recolerent.

Quum autem « ecclesia militans » in « triumphantem ecclesiam » conversa est, et christiana religio ad civilis religionis gradum pervenit sacraque officia non amplius in catacumbarum secretis celebrata sunt, munus artis id fuit, ut magnificas basilicas cultui dicatas ornaret; tum religiosa ars magnificentiae maiestatisque imperii notas praetulit, exornationum apparatus ex musivo opere desumpto, ex quo mirificos effectus obtinere licet. Tum Christus nunquam patiens, in crucem elatus repraesentatur, verum tamquam rex vicit; Mariam non doloris gladii transfigunt, sed laetitiae fulgores faciunt insignem; et in beatorum coetu, quae Virginem Eiusque Filium circumdant, servantur varieque, at praesertim aureolae magnitudine, exprimunt plures dignitatis gradus iuxta caeremoniarum,

ut ite dicam, libros, quibus Constantini aulici distinguebantur; ita ut quum Petrus et Paulus, Apostolorum principes, prope Christum et Mariam locati, reliqui caelites plus minusque longinqui appareant.

Huius artis exempla perspicua Ravenna urbs maxime praesefert; caput olim mundani imperii. Iam ibi Augustus secundum Italicarum copiarum portum constituerat; quum autem barbarorum acies ita exun-



Sancti Vitalis, Ravennatis templi, ara maxima.

darunt, ut Roma securitatem, quae satis imperatori esset, praebere ulterius nequiret, an. CDII Honori sedem suam Ravennam transtulit, quae, loci natura, et mari fugam facile suppeditaret et terra, ob magnas paludes urbem cingentes, difficillimum hostium impetum redderet.

Serius vero urbs florere coepit, quum scilicet Galla illa Placidia, Honori soror, Valentiniani nomine filii regnum assumpsit; floruitque late saeculo etiam sexto, quando sedes exarchi facta est, per quem Byzantium occidentalem imperii partem moderabatur: hisce temporibus adscribenda monumenta, quae nostra etiam aetate ad silentem nunc urbem artis peritos tralunt eosque admiratione commovent: Gallae Placidiae sepulcrum et S. Ioannis in fonte baptisterium, quae ad primam aetatem spectant; sancti Vitalis atque sancti Apollinaris in classi tempora, in quibus byzantinae aulae divitiae resplendebant.

RAVENNA URBS  
ET CHRISTIANAE ARTIS MONUMENTA

ut ite dicam, libros, quibus Constantini aulici distinguebantur; ita ut quum Petrus et Paulus, Apostolorum principes, prope Christum et Mariam locati, reliqui caelites plus minusque longinqui appareant.

Huius artis exempla perspicua Ravenna urbs maxime praesefert; caput olim mundani imperii. Iam ibi Augustus secundum Italicarum copiarum portum constituerat; quum autem barbarorum acies ita exun-

Sancti Vitalis templum cum Constantinopolitano templo sanctae Sophiae contendere magnitudine ac decore debebat; utrius conditorem, Iustinianum, multis absidis opus reproducit, eumque regali illo atque splendidissimo vestium ornato et corona redimitum, quem hinc frequens aulicorum turba comitatur, in qua Maximianus archiepiscopus cernitur templum coram imperatore consecratus, inde assequitur cum ancillis suis Theodora uxoris. Hasce imagines conspi- ciens ecquis huiusmodi artem incipientem affirmaverit? Hercole, non puerulae novae artis specimina, non incunabula haec sunt, sed terminus praeclarus, et fructus antiquitatis excellentissimi!

Quod si in Theodoreae imagine matronarumque circum stilus inclinantis ac labentis artis (« decadentem » hodie appellant) aliquam notam praebet, non tamen occasum appropinquantem stilum ipsum dixeris; siquidem in illa arte vis fuit, ut classicorum perfectione quaestiones novas omnino circa aedium interna ornamenta solveret. Musiva enim opera, quibus Sancti Apollinaris templum resplendet, fructus uberrimi decorantis artis omnium temporum fortasse habendi sunt. Zophorus per centralem aram perductus pompa refert lente ac sollempniter procedentem: hinc viginti ac duae virgines ad Matrem Dei prodeunt; inde sex et viginti homines ad Iesum accedunt; omnes coronas portant; mulieres albis velis amiciuntur, capite ex graeco diademate praecincto... Non inferior, in figurarum illarum gestibus ac modis, in vestium sinibus, inter homines et mulieres nullam fere differentiam inveniri; si vero id linearum cuivis duritiae, si commenti paupertati quis tribuerit, eum profecto decipi proculdubio asseram; unam enim hanc formam — non aliter atque in celeberrimo illo Parthenonis ornato — voluit certo artifex, ut qui visuri essent, speciem atque vim ferrent rei cui nunquam esset finis, immutabilis, aeternae. Lineae « classicitatem » redolent; gestus ac modus quisque gratia redundant; uno verbo Phidianarum Panathenaicarum pompam hanc esse dixeris, ab artifice excellentissimo in divini numinis alterius honorem reproductam.

COLLOQUIA LATINA

Discessus.<sup>(1)</sup>

BLASIUS. — Heus, Paule, num es domi?  
PAULUS. — Non sum.

B. — Impudens! non ego te audio loquentem?  
P. — Imo tu impudentior: nuper ego famulo tuo credidi, te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?

B. — Aequum dicis: par pari retulisti... Sed tu mihi videris cochleae ex more vitam agere.



Sancti Apollinaris « in classi », Ravennatis templi, prospectus interior.

- P. — Qui sic?  
B. — Quia perpetuo domi latitas, nec usquam pro- repis.  
P. — Est quod agam domi: foris mihi negotia non sunt. Neque tamen sum tetricus: si prodeambu- lare lubet hodie, non recuso.  
B. — Plane videtur utendum hoc caelo.  
P. — Utamur: adscendens est unus et alter socius.  
B. — En opportune se nobis offert sodalis percom- modus: lepidus est adolescens: consalutemus.  
P. — Charine, salve; te quaerebamus.  
CHARINUS. — Immo valete, sodales amicissimi.  
P. — Quo cogitas?  
C. — In patriam.  
B. — Quidum?  
C. — Sic est; arcessor a patre.  
P. — Nunquamne es reversurus?

I. F.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE S. I. Antuerpiae ed. an. MDCLVII. — Passim retractavit I. F.

- C. — Nunquam, ut opinor.  
 P. — Siccine igitur nos relinquis?  
 C. — Ita necesse est.  
 B. — Me miserum! Ubi deinceps similem nanciscar socium?  
 C. — Ne te sollicitet discessus meus; mei similium sat vilis est copia... Praeterea absentes corpore, praesentes animis erimus.  
 P. — Quandoquidem te a nobis distrahit necessitas, ferendum est.  
 C. — Quas ultro citroque dabimus epistolas, fovebunt pristinam amicitiam.  
 B. — Scribam ego certe creberrimus.  
 P. — Imo te silentem lacessam.  
 C. — Non id patiar ut meo facias merito.  
 B. — O quam triste divertium!  
 C. — Quid agam? Patri voluntati parendum est. Longiorem moram non patior; iam, ut credo, aurigam moror; properandum est.  
 B. — Quoniam non est mora tibi libera, vale: sit iter tibi felix ac commodum.  
 P. — Opto tibi incolumem in patriam adventum.  
 C. — Maximas ago gratias, et vicissim omnia precor vobis prospera.  
 B. — Bene vale.  
 C. — Valete.

### ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicaes octavo exeunte saeculo ab obitu S. Anselmi doctoris.

(Cfr. num. sup.)

Quod si talium scelerum affines esse silendo et acquiescendo possumus prout non raro fit etiam a bonis, sacri pastores sibi quisque dicta potest aliisque opportune commendent quae ad potentissimum Flandriae principem ab Anselmo scripta leguntur: *Precor, obsecro, moneo, consuluo, ut fidelis animae vestrae, mi Domine, et ut in Deo vere dilecte, ut nunquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si sponsae Dei et matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis libertatem; nec putetis vos humiliari, si eam exaltatis, nec credatis vos debilitari si eam roboratis. Videte, circumspicite; exempla sunt in promptu; considerate principes qui illam impugnant et conculant, ad quid proficiunt, ad quid deneant?* Satis patet; non eget dictu (1). Quod idem loculenter etiam expressit, pari vi ac suavitate verborum, his ad Balduinum regem Hierosolymitanum scriptis: *Ut fidelissimus amicus precor vos, moneo, obsecro et Deum oro quatenus sub lege Dei vivendo voluntatem vestram voluntati Dei per omnia subdat. Tunc enim vere regnatis ad vestram utilitatem, si regnatis secundum Dei voluntatem. Ne putetis vobis, sicut multi mali reges faciunt, Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et defensori esse commendatam. NIHIL MAGIS DILIGIT DEUS IN HOC*

(1) Epist., lib. IV, 12.

**MUNDO QUAM LIBERTATEM ECCLESIAE SUAE.** Qui ei volunt non tam prodesse quam dominari, procul dubio Deo probantur adversari. Liberam vult esse Deus sponsam suam, non ancillam. Qui eam sicut filii matrem tractant et honorant, vere se filios eius et filios Dei esse probant. Qui vero illi quasi subditae dominantur, non filios, sed alienos se faciunt, et ideo iuste ab haereditate et dote illi promissa exhaerendantur (1). Ita e sancto Viro pectore fervidus in Ecclesiam amor erumpit; ita eminet studium libertatis tuendae, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium, nihil Deo carius, ut ab eodem egregio Doctore affirmatum est brevi illa et vibranti sententia: *nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae sua.* Nec est quidquam, Venerabiles Fratres, quo mens animusque Noster patet apertius, quam verborum quae retulimus crebra usurpatio.

Ab ipso pariter mutuari monita libet ad principes processus conversa. Sic enim ad reginam Angliae Matildam scribit: *Si recte, si bene, si efficaciter ipso actu vultis reddere grates, considerate reginam illam quam de mundo hoc sponsam sibi illi placuit eligere... Hanc, inquam, considerate... hanc exaltate, honorate, defendete, ut cum illa et in illa sponsa Deo placeatis et in aeterna beatitudine cum illa regnando vivatis* (2). Tum vero maxime quum in filium aliquem terrena potestate inflatum incideritis, aut amantissimae Matris oblitum, aut suea eius imperium detrectantem, haec memoria ne excidant: *Ad vos pertinet... ut haec et huiusmodi... frequenter opportune importune sugeratis; et ut non dominum, sed advocatum, non privignum, sed filium se probet esse Ecclesiae consularis* (3). Nostri namque munerus est, idque praecipue nos decet, alia haec nobili paternoque sensu ab Anselmo dicta suadere atque in hominum animis deficienda curare: *Cum audio aliquid de vobis quod Deo non placet et vobis non expedit, si vos monere negligo, nec Deum timeo, nec vos diligo sicut debo* (4). Si autem auditum sit nobis quia ecclesias, quae in manu vestra sunt, aliter tractatis quam illis expediat et animae vestrae, tunc, Anselmum imitati, debemus iterum rogare et consulere et monere, ut haec non negligenter mente pertractet, et si quid vobis conscientia vestra in his corrigendum testabitur, corrigeret festinetis (5). — *Nihil enim est contemendum quod corrigi possit, quia Deus exigit ab omnibus, non solum quod male agunt, sed etiam quod non corrigit malorum quae corrigerem possunt. Et quanto potentiores sunt ut corrigan, tanto districius exigit ab illis Deus, ut secundum potestatem misericorditer impensam bene velint et faciant...* Si autem non omnia simul potestis, non debetis propter hoc quin a melioribus ad meliora studeatis proficere, quia bona proposita et bonos conatus Deus solet benigno perficeret et beata plenitudine retribuere (6).

Haec aliaque id genus, ab ipso fortiter sapienterque regum et potentissimorum hominum auribus inculcata, sacris pastoribus Ecclesiaeque principibus apprime conveniunt, quibus veritatis, iustitiae, religionis est commissa defensio. Multa quidem attulit impedimenta dies, totque Nobis inieicti sunt laquei, ut iam vix reliqua sit locus ubi liceat expedire ac tuto versari. Dum enim impunitae rerum omnium licentiae fraena remittuntur, acri pertinacia compedibus Ecclesia constringitur, et, retento ad ludibrium libertatis nomine, novis in dies artibus omnis vestra clerique actio praepeditur, ita ut nihil habeat admirationis, *quod non omnia simul potestis* ad homines ab errore et vitiis revocandos, ad malas consuetudines removendas, ad veri rectique notiones in mentibus inserendas, ad Ecclesiam denique tot pressam angustias relevandam.

(1) Epist., lib. IV, 8. — (2) Ibid., XI, 33. — (3) Isai. LV, 8. — (4) Coloss., I, 24. — (5) Act. XIV, 21. — (6) Hom., III, 7. — (7) I. Ioan., V, 19. — (8) MATTH., XII, 80. — (9) I. Cor., IX, 22.

Sed est cur animum ergamus. Vivit enim Dominus efficietque ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum* (1). Ipse a malis bona derivabit, eo splendidores largiturus Ecclesiae triumphos, quo pervicacius nisa est opus Eius intercipere humana perversitas. Est hoc admirabile divinae Providentiae consilium; haec sunt in praesenti rerum ordine *investigabiles viae eius*; (2) — *non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae, neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus* (3), — ut ad Christi similitudinem Ecclesia in dies propriis accedat et expressam referat Ipsius imaginem, tot ac tanta perpessi, ita ut quodammodo adimplent ea *quae desunt passionum Christi* (4). Quocirca eidem in terris militanti haec est diuinus constituta lex, ut contentionibus, molestiis, angustiis perpetuo exerceatur, quo vitae genere queat per multas tribulationes... intrare in regnum Dei (5), et Ecclesiae in caelo triumphantи tandem aliquando se adiungere.

Ad rem Anselmus Matthaei locum illum: *Compulit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam, sic explanat: Iuxta mysticam intelligentiam summatim describitur Ecclesiae status ab adventu Salvatoris usque ad finem saeculi... Navis igitur IN MEDIO MARIS IACTABATUR FLUCTIBUS, dum Jesus in montis cacumine moraretur; quia ex quo Salvator in caelum ascendit, sancta Ecclesia magnis tribulationibus in hoc mundo agitata est, et variis persecutionum turbibus pulsata, ac diversis malorum hominum pravitatibus vexata, vitiisque multimode tentata. ERAT ENIM EI CONTRARIUS VENTUS, quia flatus malignorum spirituum ei semper adversatur, ne ad portum salutis perveniat; obruere eam nititur fluctibus adversitatum saeculi, omnes quas valet contrarietas ei commovens* (6).

Vehementer igitur errant qui Ecclesiae statum sibi fingunt ac sperant omnium perturbationum expertem, in quo, rebus ad voluntatem fluentibus, nullo repugnante sacrae postestatis auctoritati atque imperio, frui liceat quasi otio iucundissimo. Turpius etiam decipiuntur qui, falsa et inani spe ducti potiundam huiusmodi pacis, Ecclesiae res et iura disimulant, privatis rationibus postponunt, iniuste diminuant, mundo, qui *totus in maligne positus est* (7), assentantur per speciem captandae gratiae fautorum novitatis et conciliandae iisdem Ecclesiae, quasi lucis cum tenebris aut Christi cum Belial ulla possit esse conventio. Sunt haec aegri somnia, quorum vanae species fingi nunquam desierunt, nec desinent quamdui aut ignavi milites erunt, qui, simul ac viderint hostem, abiecto scuto fugiant, aut proditoris, qui festinent cum inimico pacisci, hoc est in re nostra, cum Dei atque humani generis teste infensissimo.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, quos christianae plebis pastores ac duces divina Providentia constituit, curare pro viribus ut in pravum hunc morem prona aetas omittat, flagrante tam saevo in Religionem bello, turpi socordia torpescere, neutrism in partibus esse, per ambages et compromissa divina atque humana iura pervertere, insculptamque in animo retineat certam illam ac definitam Christi sententiam: *Qui non est mecum, contra me est* (8). Non quod paterna caritate abundare minime oporteat Christi ministros, ad quos maxime pertinent Pauli verba: *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (9), aut quod nunquam deceat paullum etiam de suo iure decidere, quantum liceat et animalium postulet salus. Offensionis huius nulla cadit in vos certe suspicio, quos Christi caritas urget. Verum aqua ista deditio nullam habet violati officii reprehensionem, atque

(1) Rom., VIII, 28. — (2) Ibid., XI, 33. — (3) Isai. LV, 8. — (4) Coloss., I, 24. — (5) Act. XIV, 21. — (6) Hom., III, 7. — (7) I. Ioan., V, 19. — (8) MATTH., XII, 80. — (9) I. Cor., IX, 22.

aeterna veritatis et iustitiae fundamenta ne minimum quidem attingit.

Sic nempe factum legimus in Anselmi, seu potius in Dei Ecclesiaeque causa, pro qua illi tamdiu fuit ac tam aspere dimicandum. Itaque, composite tandem diurno dissidio, Decessor Noster, quem saepe memoravimus, Paschalis, his eum verbis extollit: *Hoc nimur tuae caritatis gratia tuae rumque orationem instantia factum credimus, ut in hac parte populum illum, cui tua sollicitudo praesidet, miseratio superna respiceret.* — De paterno vero indulgentia, qua idem Summus Pontifex santes exceptit, haec habet: *Quod autem adeo condescendimus, eo affectu et compassione factum noveris ut eos qui iacebant erigere valeamus. Qui enim stans iacenti ad sublevandum manum porrigit, nunquam iacentem erget, nisi et ipse curvetur. Ceterum, quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit* (1).

(Ad proximum numerum).

(1) In lib. III Epist. S. Anselmi, 140.

### EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

#### Ex Congregatione de Religiosis.

— Omnibus deinceps rescriptis, quibus saecularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio conceditur sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis qui vel in aliquo Ordine regulari vota solemnia professi sint, vel in Instituto aliquo religioso perpetua vota emiserint, adnexae intenduntur, licet non expressae, sequentes clausulæ, quarum dispensatio S. Sedi reservatur:

Vetitis, absque novo et speciali S. Sedi indulto:

1º quilibet officio, et, quoad eos qui ad beneficia habilitati sunt, quilibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2º quilibet magisterio et officio in Seminaris clericalibus maioribus et minoribus aliquis Institutis, in quibus clerici edificant, nec non in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica;

3º quocumque officio vel munere in Curis episcopalibus;

4º officio Visitatoris et Moderatoris domorum Religiosorum utriusque sexus, etiamque agatur de congregationibus mere dioecesanis;

5º habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa Provinciae, vel Missionis, cui sacerdos vel clericus saecularizatus, vel a votis perpetuis solitus, ut supra, adscriptus erat.

(Ex decr. d. xv mens. Iunii MCMIX).

#### Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

— Sacerdos, qui, voto fidelium aut propriae devotioni satisfacturus, celebrat Missam in honorem B. M. V. Immaculatae de Lourdes, potest, diebus non impeditis, secluso indulto apostolico, dicere more votivo Missam propriam Apparitionis (d. xi Februarii). — (Ex decr. Atrebaten. d. xxv mens. Iunii MCMIX).

— Quando, propter translationem, occurrent in Vespres duo festa Doctorum Ecclesiae, quorum eadem est oratio Deus, qui populo tuo, si fiat commemoratio sancti Doctoris Episcopi, potius eligenda est oratio Exaudi de Communi

confessorum Pontificum, quae recitatur in festis SS. Leonis, Athanasii ac Basilii magni. — (Indidem).

— Protonotarius apostolicus ad instar celebrans Pontificibus debet in Vesperis induere rochetum, amictum, crucem pectoralem et pluviale; potest post psalmos eiusdem officii capitulum ipse cantare ac post thurificationem altaris non assumens mitram in cornu epistola per breviorem debet ad sedem accedere, sed nudo capite, in medium altaris reversus, descendere, et post reverentiam in plano mitram accipiens, repete viam per quam eo venerat. — (Indidem).

— Si Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. occurrat festum nobilium, eo anno festum SSmi Nominis Mariae celebrabitur die duodecima mens. Septembri, tamquam in sede propria: sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilium, festum SSmi Nominis Mariae transferetur in primam diem liberam iuxta Rubricas. (Ex decr. d. XIV mens. Iulii MCMIX).

#### Ex Commissione de Re Biblica.

##### DE CHARACTERE HISTORICO TRIUM PRIORUM CAPITUM GENESIOS.

I. Utrum varia systemata exegistica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Genesios excogitata et scientiae fuso propugnata sunt, solidum fundamento fulciantur? — Resp. Negative.

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Genesios, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexus, multiplici testimonio Scripturarum tum veteris tum novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditonalis sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Genesios continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondent; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticæ accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historicæ specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte ficticias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas? — Resp. Negative ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianaæ religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiariis creatio hominis; formatio primæ mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam; divini pracepti, diabolo sub serpentis specie suasores, transgressio; protoparentum deiectione ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris futuri promissio? — Resp. Negative.

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique triderint, liceat, salvo Ecclesiæ iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam? — Resp. Affirmative.

V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrent, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere nunquam liceat, etiam quam locutiones ipsae manifeste apparent improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice, usurpatæ,

et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere? — Resp. Negative.

VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, praefulgenti sanctorum Patrum et Ecclesiæ ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit? — Resp. Affirmative.

VII. Utrum, quum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilem rerum constitutionem ordinemque creationis completem scientifico more docere; sed potius sua genti tradere notitiam populariem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamassum semperque investiganda scientifici sermonis proprietas? — Resp. Negative.

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *Yom* (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quadam temporis spatio, deque huiusmodi quæstione libere inter exegetas disceptare liceat? — Resp. Affirmative.

Die autem XXXI mens. Iunii an. MCMIX, in audiencia ambobus Rmisi Consultoribus ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die XXXI mens. Iunii MCMIX.

L. F. S.

Fulcranus Vigouroux, P. S. S.  
Laurentius Janssens, O. S. B.

#### DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Iulii - d. XXI mens. Augusti MDCCLXIX)

##### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus; Vincentius Gentiloni, Comes; Fabius Fani, Comes; Hernestus Schonberg-Roth-Sconberg dynasta.

##### Pontificiae electiones.

Rr. VV. Angelus Paino episcopus Liparen.; Ioannes Vaughan epus. tit. Sebastopolitan., et Salfordian. episcopi coadjutor; Iosephus Abbot epus. tit. Bethlemitan.; Emelerius Valverde epus. Leonen. renunciantur.

Excmus vir Franciscus Mendoza, episcopus Campecoren. ad sedem metropolitanam de Durango promovet; excmus vir Emanuel Secundus Ballon, iam episcopus de Arequipa, nunc autem metropolitani capituli Liman, decanus, ad sedem tit. Arabensis. transfertur; r. p. Gregorius Diamare, O. S. B. prior claustral, Montis Casini Abas et Ordinarius dicitur, in locum r. p. Bonifacii Krug, vita functi.

##### Vita functi viri clariores.

Die VI mens. Augusti, repentina morbo corruptus, Romae excmus vir Diomedes Panici, archiepisc. tit. Laodicens., Sacrae Rituum Congregationis a secretis.

##### Varia.

Die IX mensis Augusti in Xystino sacello «Pontifica cappella» habetur, sexta anniversaria die recurrente a Pio PP. X coronato.

#### ANNALES

##### Mauritana res et Hispanorum seditiones.

Hispanorum in Mauritania expeditio ad Cabiliorum, uti in superiore numero diximus, audaciam coerendam, qui nonnullos cunicularios Hispanicos interfecerant, necopinato in internecivum bellum mutata est, in quo Mauritanorum triginta millia in aciem descendederunt. Qui quum ballistis egregie instructis certarent, facile imprimis ostenderunt, armorum interdictum tanto labore in Algecirensi foedus introducunt re inefficax et ipsum omnino evasisse. Ceterum si Maurorum furor Hispanis damnorum, eorumque non levium, causa in bello fuit, non minor quidem in eorum domo indirecte paruit. Inde enim arrepta occasione, factiosi homines, qui facinorum suorum tempus auecupabantur, primum ut militum profectio nem populus impeditrent conati sunt, deinde in Catalaunia belli civilis horrores, contra inermes sacerdotes praesertim atque innocentes virgines, promoverunt, qui tantum armorum vi militariumque ciuilium praestantia post dies quinque inter incendia et sanguinem transactos repressi sunt. Quid hodie? In Mauritania pugnatur adhuc; in Hispania a martis tribunalibus vulgi corruptores poenis multantur.

##### Cretensis quaestio.

Nationum quae Cretensis insulae tutelam geregant copias reductis, non multum abfuit quin et illi factiosorum hominum opera civium sanguis effueret. Illi enim populum incitarunt ad Graecum vexillum tollendum; quumque id factum esset coetusque extero rum legatorum esset protestatus ut demoveretur, ad resistendum quasi pro aris et focis suaserunt. Res in discrimine videbatur, quando ex improviso bellicae naves Anglorum, Russorum, Gallorum, Italorumque supervenerunt, deductosque in litus classarios ad vexillum auferendum miserunt. Mens exterarum nationum tam evidenter patetfacta ad bellicum Cretensis spiritum coercendum valuit, eoque magis quod populares illi homines, ut assolet, opportunum nacti tempus, receptui pro se cecinerant. Ita conflictationum periculum, nunc saltem, evanuit; sed quaestio praecipua de civili ratione pro Cretensibus accomodata immota adhuc manet ac deprehensionibus omnis generis obvia.

##### In Perside.

Nova rerum in Perside conditio in unum congregare videtur optimos civitatis viros, ita ut non solum sperare liceat fore ut aemulationes impetusque tan-

dem aliquando avertantur, verum etiam ut fausto alite consensus ille regis, publicorum legatorum populique imponatur, quem constitutio an. MDCCCVI spectabat, at agendi ratio Mahomed Ali regis distinuerat.

#### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia de nova fisci lege adhuc disceptatur, gubernii adversariis acriter obstantibus.

In Borussia von Einem, iam ab an. MDCCCLXIII, bellicae rei administro, se a munere sponte abdicanti, von Heeringen, militum praefectus, subrogatus.

In Dania novum administratorum collegium suffectum, praeside Holstein-Ledreborg.

In Gallia novus administratorum praeses Briand orationem habuit in qua gubernium rogationi legis de reddituum tributo renunciasse declaravit.

In Lusitania factiosorum legatorum rogatio ne ecclesiastica instituta popularium aedium aedificationem aggredi possent, inter magnos tumultus reiecta est.

#### PER ORBEM

Die XXII mens. Iulii MDCCCLXIX Teheran in urbe novus Persarum rex sollemniter coronatur.

— d. XXIII, Petropoli, ob domus cuiusdam lapsum quadraginta homines inter ruinas volvuntur.

— d. XXIV Bernae conventus omnium nationum habetur pro «sociologia».

— d. XXV gallicus «aviator» Blériot fretum Britannicum feliciter pertransit.

— d. XXVII facinus idem, quamvis incassum, iterum aggreditur eius aemulus Latham, qui in mare occidens vulneratur.

— d. XXIX Lipsiae sollemnia celebrantur ad quingentesimum annum celebrandum a celebri illo atheeno condito.

— d. XXX vehemens terrae motus plures Mexicanæ civitatis urbes destruit.

— d. XXXI Tokio ex urbe eluviones per Mandchorianam nunciantur, quibus hominum et aedium millia demissa sint. Dicitur etiam Osalia urbs incendio late esse vastata Buddhæque templum celeberrimum igni esse omnino assumptum.

Zeppelinii nova aëronavis e ripis Constantiae lacus profecta Francofurtum appellat.

Die II mensis Augusti, Cowii, Anglorum et Russorum Caesares inter se convenient.

- d. iv, Coloniae Agrippinae, Eucharisticus conuentus inchoatur, praeside Purpurato Patre Vincentio Vannutelli, Summi Pontificis legato.  
 — d. v, Stokolmae, operariorum omnium ex condicto ab opere recessioni initium fit.  
 Bogotae, novus Columbianae civitatis praeses eligitur Gonzales Valencia.  
 — d. vi, Insulis, conuentus habetur ad doctrinæ progressum provehendum.  
 — d. vii, Audorfersee, Germanorum Russorumque Caesares inter se conveniunt.  
 — d. viii, Brixiae, electricæ disciplinae progressus, concurrentibus nationibus omnibus, publice ponuntur.  
 — d. x diaria referunt Aprutiorum ducem e Sabaudica gente ad verticem Godvin Austin montis pervenisse, ad maximam scilicet altitudinem, quam homo unquam tenuerit.  
 — d. xi, Neo-Eboraci, vicus, cui nomen *Monticel*, incendio diruitur.  
 — d. xii in urbe La Paz Heliodorus Villazon praeses Bolivianae civitatis renunciatur.  
 — d. xiv, Olyssipone, Craverus Lopez moritur, praefectus militaris urbis.  
 — d. xvi, Lehardeles-Bains in oppido naturae concedit Georgius Picot historicus.  
 — d. xviii Moulinensis ferriviae statio flammis absunitur.  
 — d. xx. ex Australensi Victoria provincia imensa damna ab inundationibus profecta nunciantur.

## IOC I

Galliae rex Philippus pauperes quosdam studiosos ad epulas invitaverat, e quibus sub mensæ finem unum de capone partem bonam abscondere animadvertisit. Hunc vocatum clam interrogat, cui facultati studeat. Ille: — «Theologiae». Et rex: — «Nunquam legisti illud: *Nolite solliciti esse de crastino?*» — «Immo ego — respondit — omnem sollicitudinem de crastino deponere, certus esse volui».



Homo iocosus, exorta gravi tempestate, carnes salsas comedebat avidissime et voracissime. Causam huius edacitatis rogatus: — «Quia — inquit — mox plus mihi bibendum erit, quam in omni mea vita».



Grammaticae professor in quadam academia iussit puerum discipulum in schedula scribere, se eo die non doctrum, propter negotium publicum; et ad valvas academiae, ut mos est, quum quid aut omnibus studiosis aut alicuius scholæ denuntiatur, affigere. Paruit puer; haec vero in schedula omnibus innotuere: «Magister grammaticæ hodie non docebit propter negotium publicum».

## IOC II

IACOBUS CORDARA,  
ad quem missum est I. B. FRANCESA opus, cui titulus:  
TARCISIUS  
ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

- MOD. M. SCARPINI. *Cythisi. Carmina.* — Mediolani, ex off. L. F. Cogliati, 1909.  
 MARCUS GALDI. *De latinis Ioannis Casae carminibus.* — Neapoli, ex off. A. Cimmaruta, 1909.  
 Sulla solenne traslazione del Corpo Santissimo di Ponzi Meropio Anicio Paolino da Roma in Nola. Carme latino colla traduzione in versi sciolti di GENNARO ASPRENO ROCCO Sacerdote Napoletano. — Neapoli, ex off. F. Giannini et f., 1909.

## AENIGMATA

## I.

Quinae sumus sorores  
Arcta tibi revinctae  
Cognitione, lector.  
Orbae sorore prima,  
Incedimus nigrante  
Sub veste; si sorore  
Caremus et secunda,  
Cum bis eamus orbae,  
Res mira! ter vocamur.  
Nova sorore rapta  
Iam cassa vox sonamus.

FR. XAV. REUSS.

## II.

Rite lego: in silvis praestat, perstatque vigore.  
Si lego retrorsum, virginis ornat ora.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IANUARII ASPRENATIS ROCCO carmen nuperrime editum ob sollemnem translationem corporis Pontii Meropii Anicii Paulini ab urbe Roma in Nolanam basilicam Id. Mai. MDCCCCVIII.

Aenigmata an. XII, n. VI proposita his respondent:

1) Ares; Sera; 2) C-ursus.

Ea rite soluta miserunt:

Aug. Scriban, *Iassis in Romania*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Petrus Tergestinus. — Henr. Johnston, *Tullamore in Hibernia*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Ioan. Maria Meunier, *Corbiniano Nivernensi*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Alois. Momhardt, *Vaals*. — Alois. Belli, *Roma*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Luc. Rhaetus, *Bucarestino*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Max. Wronski, *Nova Wieś Narodowa*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Ios. Rainelli, *Arona*. — F. Guerra Aletio, — Arn. Rudzianski, *Thephelisio*. — F. Xav. Ghion, *Ostuni*. — Hermes Gini, *Aqua Taurinis*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Theo. T. Chave, *S. Boise, Idaho*. — Guil. Schmidt, *Londonio*. — A. Bochmig, *Mödling a. Vindobonam*. — Alf. Martineci, *Badiocchio*. — Vinc. Starace, *Neapol.* — Adamus Kozlowski, *Petricovia*. — Call. Amalberti, *Albio Intemelio*.

Sortitus est praemium:

IACOBUS CORDARA,  
ad quem missum est I. B. FRANCESA opus, cui titulus:  
TARCISIUS  
ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

## [9] AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

- Cur. Barbar. . . . .  
 Char. Barbar. . . . . Psithacopsis baar Panophi  
 San. Barbar. . . . . Colocynthopsim popi.  
 Cur. Iam dicam planius. Hic Psithacopsis est  
 Magni gnatus Panopheos; eius assecla hic  
 Et paedagogus Colocynthopsis nomine.  
 Ble. Teneo. Char. Barbar. . . Cur. Barbar. . . Cleo-  
 [nymus]  
 Rogavit, ecquis esset hic frugi puer.  
 Ble. Dic ergo, quae optima videntur, Cireculio;  
 Iam quid cupiam, noris. Cur. Sine me, Blepharo.  
 Barbar. . . . . Char. Barbar.  
 San. Barbar. . . . .  
 Cur. Spondet uti fratrem hunc postmodum complectier:  
 Securus vivito. Ble. Grates quam maximas  
 Habeo. Ast ecquando navis onusta mercibus  
 Adveniet? Cur. Barbar.  
 San. Barbar. . . . .  
 Cur. Inde usque ab elapsa mense ratis littore  
 Solvit iam, et flatibus laxavit carbasa;  
 Sed non belle flavit Notus; brevi tamen  
 Huc adpellet. Ble. Spero equidem. Char. Barbar... La-  
 [chitim (1)].

(1) *Fletum simulat.*

(1) *Simulant litteras educere e crumena.*  
 (2) *Inspicit litteras.*  
 (3) *Cleonymus admirans spectat.*

(Pergit in pag. seq.)

## DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

D'ANNIBALE Card. IOSEPHUS

## SUMMULA THEOLOGIAE MORALIS

Editio quinta  
diligenter revisa et emendata

Tria volumina in 8° gr.; pag. 1500 (Romae 1909) libell. 13,50

## SUPPLEMENTUM EDITIONI QUINTAE

## SUMMULAE THEOLOGIAE MORALIS

Rome 1909

Vol. unicum in 8° (proxime prodibit) libell. 1,00

N. B. Summulam acquirentibus dabitur gratis hoc Supplementum.

D'ANNIBALE Card. IOSEPHUS

## In constitutionem Apostolice Sedis

quæ censuræ latæ sententiae limitantur

COMMENTARI

EDITIO QUINTA

1 vol. in 12; pag. 158. . . . . libell. 1,50.

Proxime prodibit opus, cui titulus:

PASTOR Dr. LODOVICO

## STORIA DEI PAPI

DALLA FINE DEL MEDIO EVO

coll' aiuto dell' Archivio Segreto Pontificio  
e di molti altri Archivi

## VOLUME PRIMO

## STORIA DEI PAPI NELL'EPOCA DEL RINASCIMENTO

FINO ALL'ELEZIONE DI PIO II

Huius operis maximi momenti nova versio Italica comparatur vol. II ac vol. IV, 2. Nunc enim tantum exstat versio vol. III et vol. IV, 1.

Cle. Has litteras, pater, volo addiscere. Ble. Etiam, Fili: praeceptor Psithacopsis erit tuus. Sed in conclave ipsos adducendos reor, Inter ea dum culinae operam dando apparem Coenam. Cur. Optime ais, Blepharo, coenam instrue Hospitibus hisce, ego operam in conclave dabo. Barbar. Char. Barbar. San. Barbar. Cur. Barbar. Praecede nos, Blepharo. Belle acta est fabula.

EXPLICIT ACTUS II.

## ACTUS III.

## SCENA I.

Via.

Iphicates, Stratilax, Blepharo.

Ble. Adde gradum: appropera. Stra. Me iam rediisse autuma. Iphi. Ecur tantopere festinas, bone vir? Quo abis? Stra. O factum belle! En scopulum damnosissimum. Iphi. Non respondes? Non noris me, qui vir siem? Stra. Te precor, ut me ire, quo prefectus sum, sinas (1). Iphi. Quo vadis, dic statim, ne tibi minuam caput. Stra. Ad ova comparanda convivis eo; Nam desunt. Iphi. Quinam isti sunt convivae? Stra. Ho-

(1) Conatur se extricari manibus.




## NUMISMA

iubente Consilio Centrali  
ad  
Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum  
celebrandum  
expresse descriptum et cusum

sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum

## HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem  
in germanicis Officinis fabricatum

sociisque Commentarii Vox Urbis  
qui subnotatores novos  
acquisiverint duos  
praemio constitutum



CAESARIS TIRATELLI tabula  
baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)  
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint  
gratuita donatur.

Qui nuper appulere huc ex Aegyptiis.  
Iphi. Modo ignorabas, quinam hi hospites forent?  
Stra. Ego vero ignorabam. Iphi. Quam simplex vir es!  
Stra. Ita... (1) me amet Iupiter. Iphi. Quot sunt isti ho-  
spites?  
Stra. Duo. Supplex oro, sine, abeam. Iphi. Sta illico.  
Cave, ne mentiaris, secus in vincula  
Te coniciam. Dic, quo vocantur nomine?  
Stra. Tanti non sum, qui tam monstrosa nomina  
Expediam. Baracitinopsis Sciosciohanopsis... nescio.  
Namque ipsi culicum, non hominum more obstrepunt.  
Iphi. Dic mihi, qualem aetatem ferunt? Stra. Id nescio.  
Num me ipsorum nutricem reputas? Iphi. Dicam ego.  
Nonne alter duodennis fere adolescentulus  
Videtur tibi? Stra. Ita. Iphi. Iusta statura? Stra. Admodum.  
Iphi. Et corpulentus? Stra. Ita. Iphi. Et adunco naso?  
Stra. Ita. Iphi. Et nigra oculis?  
Stra. Ita. Iphi. Et nigra crine?  
Stra. Ita, ita, ita (2).  
Iphi. Tu nunc describe mihi alterum, quo corporis  
Habitu sit. Stra. Quid ego nunc describam, Iphicates?  
Sine, abire: iamdudum factum est, domo exii (3).

(1) Iphicates minorat Stratilagem.

(2) Vocem extollit.

(3) Iratus respondet.

(Ad proximum numerum).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, E. Cuggiani.

## PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

## COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCLIX

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6  
ubique extra Italiam Libell. 9  
(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)  
recto tramite mittendum

## ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis", possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

## Praemia sociis constituta:

## Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad  
Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-  
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

## Novi subnotatores singuli

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,  
quod socii, qui iam superioribus annis ha-  
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diritorum expensas  
resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum, eiusque subnotationis  
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-  
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc  
tamen et sequentibus praemiis bibliopolae excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos ut supra, horologium sibi  
habet in Germanicis of-  
ficinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres eorumque subnotationis pre-  
mium miserit, a pretio suo  
solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit ante Iulium  
mensem, di-  
midiatum premium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in discessionis  
Italicam stationem, secunda, prout vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta, ut supra, eodem  
itinere gratis om-  
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

**Diversorium magnum, cui a Minerva nomen** (*Grand Hôtel de la Minerve*)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

**Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda**

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

**SUPELLEX**  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

*Gratuito sumptuum aestimatio fiet.*

*Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:*

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proiecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tyronibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem*

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

IN CANADA

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.